



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

40. Gennadivs equum furtim ablatum vendit in extrema postea sua necessitate superveniente; pro quo idcirco satisfacere amplius non tenetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

XL. Gennadius elapso belli tempore equum quidam furtim surripuit, & aufugit. Sed mox in morbum incidens extremè egere cepit, vt cogeretur equum vendere, & presenti necessitati mederi, quod & fecit. Inde verò ad meliorem fortunam rediens angitur de equo ablato. *Queritur.* An restituere pro illo iam aliquid teneatur?

Videtur teneri. Ita Vasquez *Opusc. de Elemosyn. c. 1. dub. 8. n. 68.* Pet. Lorca *in 2. 2. D. Thom. q. 32. art. 9. sect. 3. D. 38. n. 14.* Bonac. *D. 3. Q. 4. de charit. pun. 6. n. 16.* & ceteri ita communiter, vt Vasquez affirmet, neminem contradicere. Ratio est. Tum quia ad necessitatem subleuandam opus non est, debitum extinguere, sufficit eius restitutionem impediri. Ergo manet obligatio. Tum quia equus in necessitate illa potuit tantùm mutuo saltem imperfecto & conditionato concedi; cum Charitas solùm obliget ad subleuandam necessitatem proximi, vt docet Card. de Lugo *de just. D. 15. n. 168.* quæ subleuatio sufficienter etiam fit per talem conditionatam concessionem.

Resp. Gennadium probabiliter non teneri. Ita Petrus à Nauarra *de Restit. L. 4. c. 4. n. 24.* Coninck *de Actibus supern. D. 16. n. 166.* Palao *Tom. 1. Tr. 6. D. 2. pun. 10. n. 3.* & alij Recentiores. Ratio est. Quia Gennadius in hac extrema necessitate equum expendens satisfecit obligationi restituendi antea contractæ, cum

cùm illum impenderit eo modo, quo tenebatur velle Dominus, illum expendi, si apud ipsum staret. Confirmatur. Si Gennadius in extrema sua necessitate equum Domino suo clam restituisset, eumque statim iterum accepisset, nõ fuisset vnquam obligatus eundem restituere. Ergo nec in priore casu ad hoc tenetur. Nam si res furto sublata apud furem sine eius culpa pereat eo tempore, quo restituta Domino eodem modo apud hunc periisset, fur liberatur restitutionis onere, vt ex communi docet Less. *de just. c. 12. D. 15.* Atqui in nostro casu apud Gennadium ita periit equus; quia, etiamsi Gennadius eum Domino restituisset, & statim, vt poterat, recepisset, eodem modo absque ipsius culpa periisset; quippe Dominus tenebatur illum Gennadio in tali extrema necessitate donare.

Ad primum in contrarium negamus, debitum non extingui in casu nostro, cùm equum Gennadius expenderit, sicut Dominus eum expendi velle debuit. *Ad secundum* dicimus, esto Dominus potuerit in tali necessitate mutuo conditionato equum concedere. Atqui reipsa tale pactum non intercessit, vt proinde nullum ex eo remaneat restituendi onus. Deinde plerique Theologi negant, id fieri potuisse, nixi maximè authoritate S. Script. & Patrum, vt videre est apud Palao. *D 2. cit. pun. 4. n. 5.* Certè extremè egens non obligatur ad
R 4 ineundum

ineundum tale pactum, esto fortè, si in illud consentiat, postea eodem stare teneatur.

XLI. Hatto Sacerdos vrgēte necessitate absq³ praeuia cōfessione celebrat in peccato mortali solā huius procurans contritionem: nec factā hāc celebratione confiteri quamprimum properat, sed tam diu differt, donec (praefer opinionem quidem) iterum in defectu Sacerdotis ad sacrum dicendum cogatur. Queritur. Vtrum Hatto ex eo solūm peccauerit mortaliter, quod post celebrationem in peccato mortali quamprimum confiteri non maturauerit?

Videtur non peccasse mortaliter. Ita Ledesma & Villalobos, quos citat & eorum opinionem probabilem censet P. Thomas Tamburinus opusc. de expedita commun. c. 1. §. 6. n. 45. Rationem desumunt ex Trident. sess. 13. c. 3. non praecipiente, sed hortante solūm ad celerem confessionem, quod suadent. Tum quia particula illa (quamprimum confiteatur) non est praecipientis, sed suadentis solūm: sicut nec vocula (debet) quā vitur Pontifex in Missali, necessariū praceptū mortale importat. Tū quia in dubio melior est conditio possidentis libertatem contra tale onus. Ergo cum non constet, num Concilium intenderit praecipitum, an merum consilium, pronuntiandum pro libertate. Tum quia leges praesertim grauiiores non ferendae sunt facile, ne multitudine illarum peiores Hebraeis reddamur, vt sapienter advertunt S. Thomas & D. Augu.